

Franckesche Stiftungen zu Halle

Manuale Quadripartitum h.e. Vtilis Ad Intelligendam Scripturam Regulae à Michaelis Neandri Opusculo Exegetico Depromptae

Neander, Michael

Halae Magdeburgicae, MDCCXXXIII.

VD18 13428160

Pars IV. Fide Iustificamur.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:hbz:5:1-200036

Eli clamans, animam
 Patri commendavit,
 Latus ejus lancea
 Miles perforavit,
 Terra tum contremuit
 Et sol obscuravit.

6. De cruce deponitur

Hora vespertina,

Fortitudo latuit

In mente divina:

Tandem mortem subiit

Vitæ Medicina,

Heu corona gloriæ

Iacuit supina!

7. *Hora completorii,*

Datur sepulturæ

Corpus Christi nobile

Spes vitæ futuræ,

Conditur aromate

Complentur scripturæ

Iugi sit memoria

Mors hæc mihi curæ.

Hymno sequens iungo distichon:

Vivit Salvator, metuat sibi nemo periculum;

Qui domuit Satanam, cuncta domare potest.

PARS IV.

FIDE JUSTIFICAMVR.

Evangelica hæc veritas in sacris litteris firmis-
 sime fundata, a Pontificiis non solum non

admittitur, sed a plurimis quoque, qui verbis eam confitentur, non recte intelligitur, dum parum sint solliciti, quid vocabulum *Fides* significet, quidve significet *Iustificari*.

Quo autem horum vocabulorum significationem vere assequamur, *Confessionem Doctrinae Saxonicarum Ecclesiarum* evolvamus, quam *Philippus Melancthon* Anno Domini MDLI. ut *Synodo Tridentina* exhiberetur, scripsit, ubi pag. m. 249. sequentia legimus:

„Sunt autem nota vocabula: *Fides* significat non tantum historiae notitiam, qualis & in diabolis est, de quibus dicitur: Dæmones credunt & contremiscunt: sed significat amplecti omnes articulos fidei, & in his hunc articulum, Credo remissionem peccatorum. Nec tantum aliis dari eam credo, sed mihi quoque.

„Hæc fides simul est fiducia acquiescens in Mediatore, juxta illud justificati fide pacem habemus. Ita loquitur Paulus de fide, quæ adsentitens omnibus articulis fidei, promissionem intuetur & amplectitur: copulat enim fidem & promissionem. Rom. 4. Ideo ex fide, ut sit firma promissio.

„In declaratione vocabuli justificari, usitate dicitur: *Iustificari* significat, ex injusto justum fieri: quod recte intellectum hic quoque quadrat. Ex injusto, id est, reo & inobediente, & non habente Christum, fieri justum, id est, absolutum a reatu, propter filium DEI, & apprehendentem fide ipsum Christum, qui est justitia nostra, ut dicunt Hiero: & Paulus: quia ejus
„iustut

„justitia nobis reputatur & quia dato Spiritu suo
 „sancto nos vivificat, & regenerat, sicut & I. Joan.
 „5. dicitur: Hæc est vita in filio ejus. Qui habet
 „filium, habet vitam æternam, qui non habet
 „filium DEI, vitam non habet.

„Quamquam autem simul inchoatur novitas,
 „tamen non dicimus personam justam esse in hac
 „vita propter novas qualitates, sed propter ipsum
 „mediatorem passum, resuscitatum regnantem,
 „deprecantem pro nobis, nos obumbrantem &
 „vivificantem.

B. hic autor totus in eo fuit, ut sancta Evan-
 gelii Doctrina pure & incorrupte ad posteros
 transmitteretur; Id circo non modo vasta con-
 scripsit Volumina, in quæ puritatem sanæ Doctri-
 næ congeffit; verum etiam succincta concinna-
 vit monumenta, quæ nobis eam strictim paucis
 sistunt, cujus generis subsequens est *Disputatio*
de tota Evangelii Doctrina, quam & gemma e
libris nostris Symbolicis depropta, h. e. Enchi-
vidio seu Catechismo minori B. Lutheri
 M DCC XXIX. p. 95. inseruit.

Finem igitur illa & huic *Memoriali quadri-*
partito faciat.

DISPUTATIO (*)

PHILIPPI MELANCHTHONIS
 DE TOTA EVANGELII DOCTRINA.
 EST

(*) Nonnullas equidem e Brentii Commentario in
 Esaiam aliisque Lutheri coævis huic disputationi

Est omnino miserum totum genus humanum in hac corruptione, ut in maxima parte hominum in hac corruptione, ut in maxima parte hominum manifesti furores ostendunt. Quia maxima multitudo vivit more pecudum, contemnens DEVM, & iudicium, & misericordiam DEI, nec attendens, unde fit hæc natura, & quomodo regatur, & quia fit futurus finis huius mundi, sicut Ps. 14. inquit: Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus.

2. Econtra vero ingens & immensa bonitas DEI est, quod quanquam multi sunt prophani, qui non emendantur, Tamen se patefecit certis testimoniis, & revelavit arcanum decretum suum de remissione peccatorum propter filium, & colligit

junxi adnotationes; sed ne præsens manuali cuiquam foret molestum, illis omissis, eam, ut Tom. II. Witt. Lat. fol. m. 500. a. seq. legitur. modo verbotenus Enchiridio, Appendicis loco, jungere deereui: Et quoniam non solum iuvat, sed quoque haud parum delectat, quendam alicujus operis conspectum habere; Ea propter non fore inajacundum arbitror, si Theologiæ studium nutu & auxilio Summi Numinis ingressurus totam Evangelii doctrinam curatissime delineatam oculiscernat, eamque non modo perfunctorie idemtidem animo percurrat, sed ut ingenuus divinæ veritatis investigator per DEI gratiam in eo potius sit, ut ipse cælesti manna, quod Melanchthon simul apponit, vtro salutis ordine perfrui queat, ac sana Evangelii doctrinâ vere innutritus, gregis olim evadat typus.

ligit sibi ex tam corrupta massa humani generis Ecclesiam æternam.

3. Et ut eam Ecclesiam sibi colligat, instituit ministerium Evangelii inde usque ab initio post Adæ lapsum, in quo ministerio vult omnibus temporibus prædicari pœnitentiam, & remissionem peccatorum propter Filium.

4. Cumque nos in Ecclesia non simus Epicurei, sed affirmemus vere DEVM tradidisse doctrinam de sua voluntate, de ira & misericordia, debemus audire ipsam doctrinam, & fugere omnes corruptelas doctrinæ.

5. Sicut Heva debuit vitare corruptelas mandati divini, quas diabolus ei proposuit; Sic omnes homines debent vitare & damnare depravationes Evangelii.

6. Manifestum est autem depravari Evangelium multipliciter in articulo de pœnitentia ab illis scriptoribus, qui docent, Remitti peccata propter nostram contritionem, & alia merita, Et tamen quia nunquam scimus, quando sit sufficiens contritio, aut sufficientia merita, semper dubitandum esse, quando habeamus remissionem.

7. Multi Ethnici errores insunt in hac sententia, quia fingunt nostram contritionem posse sufficientem esse pro nostris peccatis. Ita simul detrahunt de merito Christi, & mergunt homines in æternam mortem, quia, quo magis augetur contritio sine fide, eo profundius ruit homo in mortem, ut manifestum est in Juda, Saul & similibus.

3. Pro-

8. Propterea & ipsa dubitatio impellit mentes in desperationem & deterret a vera invocatione, sicut Paulus Rom. 10. inquit: Quomodo invocabunt, nisi credant?

9. Iterum etiam detrahunt gloriae Christi quando dicunt: Remitti peccata propter nostra merita, & non gratis fide propter Christum.

10. Error est, quod omnino omittunt in doctrina de pœnitentia hunc articulum: Fide gratis donatur remissio peccatorum propter Filium DEI per fidem.

11. Et hunc tetrum errorem, quo deletur præcipuus articulus Evangelii & Symboli, videlicet Credo remissionem peccatorum, impie defendunt autores decreti Theologorum Lovaniensium.

12. De contritione nos quoque docemus, omnino oportere aliquam in iis, qui convertuntur, contritionem existere, quia DEVS damnat carnalem securitatem, & vult aliquo modo agnosci iram suam adversus peccatum. Ideo Paulus Rom. 1. sic orditur suam concionem: Revelatur ira DEI de cœlo super omnem impietatem & injustitiam &c.

13. Et contritio est vere expavescere agnitione iræ DEI adversus peccata, & dolore propter DEVM & Filium ejus dominum nostrum JESUM Christum.

14. Sit verus dolor & pavor, nec disputetur, an sit sufficiens: Quia nostra contritio non meretur remissionem, & si cresceret in nobis pro magnitu-

gnitu-

gnitudine peccati, extinguerentur homines, sicut multi impii sensu iræ DEI subito pereunt.

15. Sit igitur contritio, sed accedat Fides, qua unusquisque vere credat & statuat, sibi ipsi remitti peccata gratis, propter Filium DEI, non propter propria ulla merita.

16. Hac fide & consequitur homo remissionem peccatorum certo & rursus erigitur cor, & vivificatur, id est, mitigantur pavores, & concipitur Spiritus sanctus, & nova vita & lætitia, ut Rom. 5. dicitur: Justificati fide pacem habemus.

17. Hunc articulum necesse est in Ecclesia proponi, & illustrari, etiamsi reclamant Pontifices, Reges, Monachi, & omnes Hypocritæ.

18. Nec adsentiendum est oppugnantibus hunc articulum, etiamsi clamant, nos seditiosos aut Hæreticos esse; Sed tenenda est regula Gal. 1. Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit.

19. Hæc regula satis excusat nos, cum adversamur Pontificibus & Regibus, qui damnant veritatem: Imo necesse est nos obedire DEO præcipienti, ut amplectamur Evangelium & adversemur erroribus.

20. Pertinet ad prædicationem pœnitentiæ, etiam doctrina de novitate vitæ, seu bonis operibus, quia peccatum cum jam remissum & rectum sit, non regnet deinceps in nobis. Et Johannes Matth. 3. dicit: Facite fructus dignos pœnitentiæ. Et Esaias c. 1. Discite recte facere, & desinite male facere.

21. Et in Zacharia c. 12. dicitur: Effundam super

super domum David Spiritum gratiæ & precum.

22. Accepto Spiritu sancto fide, statuimus, quod simus in gratia, iusti, id est, accepti & placentes DEO, propter Mediatorem: Et quia agnoscimus Dei erga nos misericordiam & præsentiam invocamus & diligimus eum, & nos ipsos DEO subijcimus. Ita inchoatur in nobis interior obedientia & sequuntur externi veri cultus, invocatio vera DEI, confessio Evangelii, & obedientia juxta mandata DEI in omnibus externis operibus.

23. Et tamen manet peccatum in Renatis, in hac vita, quod non est leve malum, ut extenuant Hypocritæ. Non enim sunt levia mala dubitationes, diffidentia, multæ ignorantia, multiplices omissiones, frigidius & languidius diligere DEVM, credere & timere, & multæ errantes flammæ cupiditatum.

24. Hæc quanquam sunt magna & tristia mala, tamen teguntur immensa misericordia, sicut Psalmus 32. dicit: Beati, quorum tecta sunt peccata, & sunt remissa, conversis ad DEVM, retinentibus fidem.

25. Est ergo peccatum in Renatis in hac vita mortali, sed non regnans. Tunc vero iterum regnat, quando indulgent homines peccato contra conscientiam. Ut quando renati redeunt ad priora idola, dedunt se prohibitis libidinibus, scortationibus, adulteriis, adficiunt alios injuriis scientes &c.

26. Non manet Spiritus sanctus in talibus, qui indulgent peccato contra conscientiam, &

ex-

excititur fides, quæ antea fuerat in corde accensa, qua credebat homo, se a DEO receptum esse, DEO placere, se exaudiri, nec manet vera invocatio.

27. Cogitetur ergo, quanta fit miseria hominis perseverantis in peccatis contra conscientiam, quia jam non invocat DEVM, & cum vivat in maximis periculis, non audet statuere se defendi & juvari a DEO.

28. Imo perseverans in peccatis contra conscientiam, ruit in æternas pœnas, ut Galat. 5. dicitur: Qui talia faciunt, regnum DEI non possidebunt.

29. Etsi magna mala sunt peccata hærentia in Renatis in hac vita, quibus spiritu repugnant, tamen infinita distantia est inter ea peccata, & lapsus contra conscientiam, qui excutiunt Spiritum sanctum.

30. Ideo omnibus nobis acerrime pugnandum est, ut retineamus Spiritum sanctum, nec labamur contra conscientiam, juxta illud: Si actiones carnis spiritu mortificabitis, vivetis.

31. Spiritu reprimendæ sunt flammæ cupiditatum. Ergo necesse est, id fieri timore DEI, fide, invocatione DEI, ut juvemur & regamur a DEO, ne erremus, & ruamus contra voluntatem DEI.

32. Et cum magna sit infirmitas nostra, meminerint pii promissum esse auxilium, ut Paulus inquit Philip. 2. DEVS est, qui efficit, ut velitis, & ut perficiatis. Si sentis initia pœnitentiæ &

D

fidei,

fidei, scito te jam placere DEO, & DEVM tibi adesse, velle hæc initia provehere, & velle tibi in invocatione, in gubernatione opem ferre, ne frustra nitaris, cum DEO servire cupis.

33. Hac tota doctrina Evangelii nos ad penitentiam, fidem, invocationem DEI, & veros cultus, & bonos fructus excitemus, propter gloriam DEI, & Domini nostri JESU Christi, ut sciamus labores nostros non fore inanes in Domino: Etiam si impia multitudo hominum, quæ est maxima, nos deridet, aut odit, & multiplicem sævitiam in nos exercet: Hanc tamen consolationem teneamus: Non erit labor vester inanis in Domino.

EXCERPTA.

Sub finem Disputationis *de mysterio unionis fidelium cum DEO & Christo*, olim in hac nostra nostra Academia sub B. Abbate Breithauptio præfide a Hiskero mense Julio, MDC XCVIII. habitæ, hæc leguntur verba: „Ideoque Christianus in Christo radicatus, licet „nihil habeat, nihilque sit, habet tamen & est „omnia, in omnibus, supra omnia.„ Quem floscelum vobis, *viri juvenes*, commendans *Excerpta* e Christiani Chemnitii Th. D. *oratione panegyrica*, quam de *Mediis effugiendi laqueos satana* Jenæ d. XIII. Februar. an. M DCLX. habebat, vobiscum etiamnum coronidis loco sum communicaturus:

„Quantum dolemus ex illis, quos potestas

„*stas inimica prostravit, tantum latamur ex*
 „*vobis, quos Diabolus superare non potuit!*
 „*Vox hæc est Beati Cypriani Martyris, Rogatiano.*
 „*Presbytero & cæteris confessoribus fratribus*
 „*scribentis, Epistola quinta? quibus subjungit:*
 „*Hortamur autem per communem fidem, per*
 „*pectoris nostri veram circa vos & simplicem*
 „*charitatem, ut qui adversarium prima hac*
 „*congressione vicistis, gloriam vestram forti,*
 „*& perseveranti virute teneatis. Adhuc in*
 „*seculo sumus, adhuc in acie constituti, de*
 „*vita nostra quotidie dimicamus, danda opera*
 „*est, ut post hac initia ad incrementa quoque*
 „*veniat, consummetur in vobis, quod jam*
 „*rudimentis felicibus esse cœpistis. Qua ratio-*
 „*ne ergo, juvante DEO, qui vis hos LAQVEOS*
 „*prudenter devitare queat, nunc videamus.*
 „*Nihil est enim, ut recte pronuntiavit Chryso-*
 „*stomus, Tom. V. sermone de virtutibus & vi-*
 „*tiis, nihil est, inquam, quod nos omnes si uti-*
 „*que velimus, superare possit. PRIMVM ita-*
 „*que MEDIVM est vera & infucata ac constans*
 „*PIETAS; quæ opponenda est tanquam firmis-*
 „*simus aries omnibus machinis satanæ, & LA-*
 „*QVEO IMPIETATIS. Veniat in mentem,*
 „*veniat plerumque tibi, cujus imaginem ge-*
 „*ras: hæc ita credo, poteris in beluarum*
 „*adeo vilissimum genus corruere, dicit in eodem*
 „*sermone de virtutibus & vitiis Chryso-*
 „*stomus:*
 „*Sic, Veniat in mentem: veniat perpetuo tibi,*
 „*cujus imaginem geras: & nunquam potens in*

„Impiorum vilissimum genus corruiere. Con-
 „stantia autem hic opus & perseverantia in vero
 „Domini timore, Impietas mundi superanda est.
 „Uz enim in theatris, qui per sublatum funem
 „scandere & descendere exercent, si parum ali-
 „quid oculorum acies errarit, precipites con-
 „tinuo ruunt: ita qui spiritualem grassantur
 „viam, si breui segnitie tempus concesserint,
 „per anfractus quosdam proni sepe iruduntur;
 „ut proinde iterum in isto sermone Chrysostomus
 „loquitur. Nam, ut in citata Epistola Quinta B.
 „Cyprianus pronunciat. Parum est adipisci ali-
 „quid potuisse, plus est, quod adeptum est, pos-
 „se servare. Sicut & fides ipsa & natiuitas sa-
 „lutaris non accepta, sed custodita vivificat.
 „Nec statim consecutio, sed consummatio ho-
 „minem DEO servat, Salomon enim & Saul
 „& ceteri multi, quamdiu in viis Domini am-
 „bulaverunt, datam sibi gratiam tenere potue-
 „runt, recedente ab his disciplina Dominica,
 „recessit & gratia. Perseverandum itaque
 „nobis est in arcto & in angusto itinere laudis &
 „gloria. Hæc Cyprianus. Sic itaque, lectissi-
 „mi filii, chari Christiani, a satanæ LAQVEIS
 „ruti esse cupitis: *time*te DOMINUM, & qui-
 „dem *constanter* ac nunquam poterit vos irreti-
 „re tortuosa antiqui serpentis malicia. Stat
 „rupes in mari ad omnes ventorum susurros &
 „animositates immobilis; anfractus fluctuum, &
 „repicitas aquarum plagas secunda irridet: ipsum
 „commotum mare robore suo ac firmitate do-
 „mans.

mans. Sic PIETAS immota rupes fit, quæ
 omnes antiqui serpentis, carnis & mundi infi-
 dias, murmurantes fibilos, ac positos LAQVE-
 OS, tanquam deliramenta irrideat & con-
 temnat. *Nihil enim aliud triste est*, pulchre
 pronunciat rursus *Chrysostomus*, *Homilia*
XXV. Tom. V. de VITA RECTA, nisi DEVM
offendere. Quod cum absit, non tribulatio-
nes, non insidia, non quicquam aliud sapien-
tem animam poterit contristare: sed quemad-
modum si brevem scintillam in lacum deiece-
ris profundum, statim extinxeris: itidem
omnis tristitia superabundantia in bonam
missa conscientiam exstinguitur, & facile de-
letur! PIETAS itaque PRVDENTIA summa
 est, quæ SATANAM debellat; PIETAS me-
 dium est, quod LAQVEOS ejus coram facie
 tua profternit. PIETAS corona est, quæ Te
 pugnantem Victorem fistet in DOMINI tui
 conspectu! Hanc ergo ne dimitte.

SECUNDVS infidiarum LAQVEVS, CON-
 TEMTVS fuit Magistratus: MEDIVM itaque
 eundem evitandi OBSERVANTIA, & METVS
 VERECVNDIA est erga superiores. Ubique
 DEVS præsens est, hoc chare fili, confiteris.
 Non autem ipse, quamvis ubique Tibi præsens
 sit, tete alloquitur: Sed voce utitur Magistratus
 tui, parentum tuorum. sacerdotum tuorum;
 & quicquid hi tibi divino jussu præcipiunt;
 DEI præceptum est & voluntas. Si itaque vo-
 lueris a Satanæ LAQVEIS tutus esse, magistra-

„tum tuum, parentes tuos, Sacerdotes tuos; ut
 „ipsum DEVM tuum audi & venerare. Etenim
 „*Sacerdotium ipsum*, ut rursus *Tom. V. lib. 3.*
 „*de sacerdotio* scribit *Chryostomus*, in terra
 „quidem peragitur, sed in rerum cœlestium
 „classẽ ordinemque referendum est. Atque
 „id per quam merito: quippe non mortalis
 „quisquam, non angelus, non Archangelus, non
 „alia quævis creata potentia, sed ipse Paracle-
 „tus ordinem huiusmodi disposuit. Quod eti-
 „am de Magistratu & Parentibus verum esse
 „pronunciamus! Utinam faceret JUVENTVS,
 „quæ Magistratus, quæ parentes, quæ Sacerdo-
 „tes ad raiim usque ingeminant: neminem cer-
 „te SATANÆ LAQVEIS visuri essemus irreti-
 „tum! Hos itaque, qui audit & veneratur, ab iis
 „liber est, & securus.

„ TERTIVS fuit EBRIETATIS LAQVEVS
 „& GVLÆ. Custoditur ab hoc; qui SOBRI-
 „VS est & commestationes odit. Seuera vox
 „est cit. loc. *Cypriani*, increpando dicentis:
 „*Sed quosdam audio inficere numerum vestrum,*
 „*& laudem precipui nominis prava sua con-*
 „*versatione destruere, quos etiam vos ipsi (ut-*
 „*pote amatores & conservatores laudis vestrae)*
 „*objurgare & comprimere & emendare debetis.*
 „*Cum quanto enim nominis vestri pudore de-*
 „*linquitur, quando alius aliquis remulentus*
 „*& lasciuens demoratur.* Et *Epistola tertia*
 „*dicit: Non attendas numerum illorum, me-*
 „*lior est enim unus timens, quam millia filii*

„im-

„*impii. Ebrietas est voluntaria insania di-*
 „*cente Seneca.* Si itaque vides, ut recta cum
 „ratione nequaquam insanias, nec voluntarie ex
 „homine bestia fias, & amica luto sus: quanta
 „est tua, o fili dilecte, felicitas. Qui pauet, ca-
 „uet: Si itaque SOBRIETATI studebis; rixis
 „non involueris, quia sobrius: bestia non fies,
 „quia temperans: in tumultu non occideris,
 „quia absens es, ad iudicium non vocaberis,
 „quia peccato vocas, a vino ac potu non made-
 „bis, quia ejusdem non es mancipium: castita-
 „tem tueberis; quia Bacchum, ut Veneris pro-
 „cum abs te ablegaueris. Infelix non eris, quia
 „sacro sancta tibi est sobrietas & temperantia.
 „O infelices ebrios! o condemnatos divitis epu-
 „lonis socios! O felices autem sobrios! o beatos,
 „temperantes & modicos! Qui itaque compota-
 „tiones & ebriosorum tumultuantes conuentus
 „pro epulis Plutonis habet, nunquam adduci po-
 „terit, ut molesta, ægrota, insaniente, dira,
 „scelerata, execrabili, pestilentissima & inferna-
 „li ebrietate, collutulet corpus & animam, quæ
 „sanguine suo Christus redemit.

„ QVARTVS LAQVEVS fuit, *Intempesti-*
 „*vus amor, & vaga libidines.* LAQVEVS iste,
 „qui pudicitie fruitur & saluti. Sed huic oppo-
 „nenda est medium efficacissimum: *Custodia Pu-*
 „*dicitie & castitatis.* Quid valuit effrons libi-
 „do Heræ, uxoris Potipharis in casto corde Jo-
 „sephi? Plus non, quam in mari nimbus, quia
 „pectus erat castitate præparatum? Quid voluit

„seniorum adulterorum iniquitas, in corde Su-
 „fannæ? Plus non, quam arena aduersus mu-
 „rum, quia robur illi & æs triplex castitatis erat
 „circa pectus. Qui igitur agnosceret, corpus su-
 „um templum Domini, se autem istius custodem
 „esse: nunquam concedet, ut *Venus & Bacchus*,
 „ceu lutulentæ sues, ingrediantur hoc templum,
 „& ad cor suum, tanquam altare Domini acce-
 „dant. Habetur inter Opera Beati Cypriani
 „*Martyris* libellus, de *disciplina & Bono pudici-*
 „*tia*. incerto auctore: in quo elegantissime &
 „recte pronunciat: *Pudicitia est, honor cor-*
 „*porum, ornamentum morum, sanctitas sex-*
 „*uum, vinculum pudoris, fons castitatis,*
 „*pax domus, concordia caput. Pudicitia soli-*
 „*cita non est, cui placeat, nisi sibi: pudicitia*
 „*semper verecunda. dum innocentia mater est:*
 „*pudicitia semper ornatur solo pudore, bene*
 „*sibi conscia de pulchritudine, si improbis di-*
 „*splicet: pudicitia nihil ornamentorum que-*
 „*rit, decus suum ipsa est. Hac nos commen-*
 „*dat Domino, connectit CHRISTO: hac ex-*
 „*pugnat omnia de membris illicita desiderio-*
 „*rum praelia, pacem nostris corporibus inducit,*
 „*beata ipsa, & beatos efficiens, apud quoscun-*
 „*que habitare dignatur, quam nunquam accu-*
 „*sare possunt, nec qui eam non habent: vene-*
 „*rabilis etiam hostibus suis, dum illam multo*
 „*magis mirantur, qui expugnare non possunt.*
 „Impudicitia autem, ut porro dicitur: est in-
 „cendium conscientia bona, mater impeniten-
 tia.

,,tia, ruina melioris ætatis, contumelia generis,
 ,,expugnans sanguinis & familie fidem! DE-
 ,,VM itaque, o fili, time, & pius esto corde, ani-
 ,,anima, ore, factis & precibus, & quidem con-
 ,,stanter: Superiores, ut ipsum DEVM venerare
 ,,& audi: Ebrietatem fugiens, sobrietati & vene-
 ,,randæ castitati dato operam; non poterunt vel
 ,,tantillum Tibi nocere dispanfi SATANÆ LA-
 ,,QVEL. Quos ut omnes ac universi effugia-
 ,,mus, concedat nobis DOMINVS! Hæc ille.

MOMENTANEVM

atque

FIDELE SVSPIRIVM

Luc. XVIII, 13.

Ο Θεός, ἰλάσθητί μοι τῷ ἀμάρτωλῳ
 acsi gemebunda anima ingeminarot:
 'Abba pater! miserere mei per vulnera Christi.
 hoc est:

*Ach Vater, deck all' meine Sünde mit
 dem Verdienste Christi zu, darein ich mich
 vest glaubig winde, das gibt mir recht ge-
 wünschte Ruh. Mein Gott ich bitt durch Chri-
 sti Blut, machs nur mit meinem Ende gut.*

vel brevius:

*Iesu! laß dein Tod und Pein
 An mir nicht verlohren seyn.*

utpote qui ultimus Rhithmus in Carolinis Ther-
 mis, erectæ in cœmiterio cruci penicillo pictorio
 inscriptus legitur.

Jehova nos propter Christum unicum mediatorem & redemptorem præparare velit ad beatum vitæ finem! dignetur quoque ut omnem præstemus fidelitatem in Christianismi cursu & prohibeat, ne in fidei lucta contra peccatum unquam despondeamus animum, sed ipsius nostri Servatoris virtute omni tempore victores evadamus, Quod ut fiat, nosmet ipsi in solidum tradamus, verborum, quibus D. Staupitius, primus Academiae Wittebergensis in Facultate Theologica Decanus & ultimis vitæ duobus annis Salisburgi ad Divum Petri Abbas, quasi Symboli loco usus est, memores ad gratiæ thronum contrito animo accedentes fide ingeminemus: *Iesu! dein bin ich, mach mich selig.*

Ipse enim ex amore sanguinem suum pro nobis effudit & Patri suo nos reconciliavit, quando igitur sincero pectore DEI favorem anhelaemus, clementiam suam nobis denegare non poterit, sed, quod probe notandum, ordine salutis non spreto. Id quod & nostri majores solícite inculcarunt, quare non solum in nostris Libris Symbolicis hoc sæpe numero repetitur momentum, sed & christianus quidam Poëta hanc veritatem sequenti disticho pie pariter atque succincto stilo est complexus:

Peccavi, fateor, doleo veniamque requiro;

Credo me justum Sanguine Christe

Tuo.

Quid simplicius cani posset?

Qva-

Qualis quæso conversatio jucundior esse poterit, quam cum Servatore nostro, qui sanguine suo nos sibi vindicavit, consuetudine uti suavissima? Salomon, regum sapientissimus, Cap. II. Ecclesiast. commate 14. 15. *se vidisse, inquit, sapientum oculos in capite esse, stultos vero ambulare in tenebris.* Quibus ultimis verbis miserrimam eorum conditionem, qui voluptatibus suis obsequuntur, depingit; Prioris autem membri explicationem e B. *Bernhardi* Libro, cui Titulum *Regula Novitiorum* fecit, haurire licet; Is enim DE VISV, „*Oculi tui, inquit, sint in capite tuo, hoc est, Cognitio tua versatur circa Dominum Iesum Christum, qui est caput omnium membrorum Ecclesie &c.* quo effato nobis *Bernhardus* æque ac *Thomas Kempfius* familiarem IESV amicitiam de meliori commendare voluit.

THOMÆ A KEMPIS

CAPVT VIII. LIBRI SECVNDI DE IMITATIONE CHRISTI EDIT. PRAG. IN

24. PAG. 165. S. 2.

DE FAMILIARI AMICITIA IESV.

Quando Iesus adest, totum bonum est, quidquam difficile videtur. Quando vero Iesus non adest, totum durum est. Quando Iesus intus non loquitur, consolatio vilis est. Si autem Iesus unum tantum verbum loquitur, magna
con-

consolatio sentitur. Nonne Maria Magdalena statim surrexit de loco, in quo flevit, quando Martha illi dixit: Magister adest, & vocat te? Felix hora, quando Iesus vocat, de lachrymis, ad gaudium spiritus. Quam aridus & durus es sine Iesu! Quam insipiens & vanus, si cupis aliquid extra Iesum! Nonne hoc est majus damnum, quam fitotum perdes mundum?

2. Quid potest tibi mundus conferre sine Iesu? Esse sine Iesu, gravis est infernus: & esse cum Iesu, dulcis paradisi. Si fuerit tecum Iesus, nullus poterit nocere inimicus. Qui invenit Iesum, invenit thesaurum bonum, immo bonum super omne bonum. Et qui perdit Iesum, perdit nimis multum, & plus quam totum mundum. Pauperrimus est, qui vivit sine Iesu: & ditissimus qui bene est cum Iesu.

3. Magna ars est, scire cum Iesu conversari: & scire Iesum tenere, magna prudentia. Esto humilis, pacificus, & erit tecum Iesus. Sis devotus & quietus, & manebit tecum Iesus. Potes cito fugare Iesum, & gratiam eius perdere, si voveris ad exteriora declinare. Et si illum effugeris & perdideris, ad quem fugies, & quem tunc quæres amicum? Sine amico non potes bene vivere: & si Iesus non fuerit tibi præ omnibus amicus, eris nimis tristis & desolatus. Fatue igitur agis, si in aliquo altero confidis, aut lætaris. Eligendum est magis, totum mundum habere contrarium, quam Iesum offensum. Ex
omni.

omnibus ergo charis, fit Iesus solus dilectus specialis.

4. Diligantur omnes propter Iesum, Iesus autem propter seipsum. Solus Iesus Christus singulariter est amandus: qui solus bonus & fidelis præ omnibus invenitur amicis. Propter ipsum, & in ipso, tam amici, quam inimici tibi sint chari, & pro omnibus his exorandus est, ut omnes ipsum cognoscant & diligant. Nunquam cupias singulariter laudari vel amari, quia hoc solius DEI est, qui similem sibi non habet; Nec velis, quod aliquis tecum in corde suo occupetur; neque tu cum alicuius occuperis amore; sed fit Iesus in te, & in omni bono homine.

5. Esto purus & liber ab intus, sine alicuius creature implicamento. Oportet te esse nudum, & purum cor ad Deum gerere: si vis vacare & videre, quam suaviter sit Dominus. Et revera ad hoc non pervenies, nisi gratia ejus fueris præventus & intractus, ut omnibus evacuatis & licentiatis, solus cum solo uniaris. Quando enim gratia DEI venit ad hominem, tunc potens fit ad omnia. Et quando recidit, tunc pauper & infirmus erit, & quasi tantum ad flagella relictus, in his non debet deicere, nec desperare; sed ad voluntatem DEI æquanimiter stare, & cuncta supervenientia sibi, ad laudem Iesu Christi perpeti: quia post hiemem sequitur æstas: post noctem dies; & post tempestatem magna serenitas.

Dn.

Dn. D. Staupitii Symbolum erat:
IESU! dein bin ich, mach mich selig.

PSAL. CXLVIII.

**PER EOBANVM HESSVM CARMĒ
 NE REDDITVS.**

HALLELVIA!

Cœlestis animæ sublimia templa tenentes,
 E quibus hæc ingens infera lumen habent.

Laudibus accumulate Deum super omnia ma-
 gnum,

Laudet in excelsis turba ministra Deum.

Angelicæ mentes omnes, exercitus omnis

Ipfius, agnoscant laudibus, esse Deum.

Sol & Luna creatorem cognoscite vestrum,

Non alio laus hæc ore canenda fuit.

Omnia in illustri lucentia fidera cœlo,

Testentur laudem solius esse Dei.

Cœlorum varii subsulent laudibus orbes,

Qvos circum se actos ultima terra videt.

Quæ super inductis pendent in nubibus undæ,

Laudantes Domine se fateantur opus.

Ipse suo Dominus qui condidit omnia verbo,

Omnia sint isto nomine grata Deo.

Atque ea perpetuos, ut sint stabilivit in annos,

Quæque dedit legum vincula certa tenent.

Vos quoque quæ terras animantia cunqve tenetis,

Grata oratori laudibus este Deo.

Qui maria incolitis immensi maxima ceti,

Quælibet & vivos quotquot abyssus habet.

Ignis

Ignis edax rerum, permisti grandine nimbi,
 Et pluviae bruma praecipitante nives.
 Et vapor exsiccans, & agentes nubila venti,
 Qui verbis faciunt quae jubet ille suis,
 Omnes & montes & proxima culmina caelo,
 Fructiferae stirpes, robora dura Cedri.
 O silvestria lustra ferae quaecunque tenetis,
 Quae colitis pecorum pascua grata greges.
 Reptilium genus omne, avium genus omne vo-
 lantum,
 Seu vos terra gravis, seu levis aer habet.
 Terrarum reges, populiqve & sceptrata ferentes,
 Quiqve tenenda loco principe jura datis,
 Imberbes pueri, juvenes, teneraqve puellae,
 Imbelles aetate jam graviore senes.
 Una voce Deum laudate, quod ipsius altum
 Est super & terras, & super astra decus.
 Ipse sui regnum populi Deus evehet, omnes
 Laus decet ista pios, laus decet ista bonos.
 Laus decet haec Israelem quem diligit, & cui
 Tam gratum populo nomen habere dedit.
 Halleluia!

Quoniam mihi B. Praeceptoris mei
Dr. Benedicti Christiani Cantoris filius librum
cantionum dono misit, & sub finem sic dicta
Schul-Gesänge leguntur, has contilenas, quas
subinde repetō, & vobis hac occasione missurus
sum, sperans, vos, optimi adolescentes,
eas mecum cantaturos
esse.

Des

Des Morgens.

Veni Creator spiritus,
 Mentēs tuorum visita,
 Imple supernā gratia,
 Quæ tu creasti pectora.
 Qvi paraclētus diceris,
 Donum DEi altissimi,
 Fons vivus, ignis, charitas,
 Et spiritualis unctio.
 Tu septiformis munere,
 Dextræ DEi tu digitus,
 Tu rite promissum Patris
 Sermone ditans guttura.
 Accende lumen sensibus,
 Infunde amorem cordibus,
 Infirma nostri corporis
 Virtute firmans perpetim.
 Hostem repellas longius,
 Pacemque dones prorinus,
 Ductore sicte prævio
 Vitemus omne noxium.
 Per te sciamus da Patrem,
 Noscamus atque Filium,
 Te utriusque spiritum
 Credamus omni tempore.
 Sit laus Patri cum Filio,
 Sancto simul Paracleto,
 Nobisque mittat Filius,
 Charisma Sancti Spiritus.

hora

Ferner um 7. Uhr hora septima.

Jam lucis orto fidere
DEum precemur supplices,
 ut in diurnis actibus
 nos seruet a nocentibus.

Linguam refrenans temperet,
 ne litis horror insonet,
 visum fouendo contegat,
 ne vanitates hauriat.

Sint pura cordis intima,
 absistat & vecordia,
 carnis terat superbiam
 potus cibiqve parcitas.

Ut cum dies abscesserit,
 noctemqve fors reduxerit,
 mundi per abstinentiana
 ipsi canamus gloriam..

DE^O Patri fit gloria,
 Eiusqve soli Filio
 Cum spiritu Paraclito
 Nunc & per omne seculum.

Um 12. Uhr hora 12.

Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda
 fidelium, & tui amoris in eis ignem accende,
 qui per diversitatem linguarum cunctarum gen-
 tes in vnitate fidei congregasti, Halleluja.

Um 1. Uhr, hora prima.

Veni maxime spiritus, tuorum
 Reple corda fidelium, tuiqve
 Accendas in eis amoris ignem,
 qui gentes fidei sub unitate

E

per

per discrimina multa lingvarum
 Solator paraclete congregasti,
 Qvem nunc mittere spiritum per orbem
 gigneris Pater, omnia innovabis
 O qui corda fidelium benigne
 Flatus numine doctiora reddis.
 Da nobis age spiritu ex eodem
 Et rectum sapere & frequenter ejus
 Consolamine vivere & valere
 Per Christum Dominum Deumqve nostrum
Um zwey Uhr, hora secunda.

O lux beata Trinitas
 Et principalis Unitas
 jam sol recedit igneus
 Infunde Lumen cordibus.
 Te mane laudum carmine
 Te deprecemur vesperi:
 Te nostra supplex gloria
 Per cuncta laudet secula.
 DEo Patri sit gloria!
 Ejusqve soli Filio:
 Cum spiritu Paraclero
 Nunc & per omne seculum.
 Amen.

Um drey Uhr, hora tertia.
 Da pacem domine in diebus nostris
 quia non est alius qui pugnat pro nobis nisi tu
 DEus noster Amen.

*Um neun Uhr jedes Tages absonderlich und
 zwar des Montags, hora nona matutina
 die Lunæ.*

A DEo scirem nisi me creatum ij
Lubricæ sortis raperer procellis
Nec vagæ cymbæ requiem daturum
littus haberem.

A DEo scirem nisi me redemptum ij
Quando terrores animam fatigant
Anxius culpæ venia carerem,
mæstus obirem.

A DEo scirem nisi me sacratum, ij
huc & illuc cum furiis vagarer
execrandorum scelerum ruina
præcipitarer.

Sed creatum me simul & redemptum ij
atque sacratum scio per Iehovam,
hic mihi portus veniæque spes est
atque salutis.

Ex tuo verbo DEus ista novi ij
particeps verbi fit ut omnis ætas.

Cum tuo Gnato Pater atque sancto
Flamine præsta.

Des Dienstags, die Martis.

Referre nihil putatur ij hoc ubiqve seculo:
seu diligit magistrum ij quisque sive spernat, cu-
jus ab ore manant ij præcepta moribus piæ ij
profutura vita.

At interesse multum ij reprobatur ipsa,
idemque confiteri ij sera discet hora. Namque
pii scholarchæ ij amans erit beatior ij interibit
osor.

Expertus est Elisa ij diligendo vatem, Ter
abstinere iussus ij nec semel recedit sed comitans

Eliam ij rapti sub astra duplicem ij spiritum lucratur.

Contrarium meretur ij Bethelina turba, Vifo loquens Elifa ij calue ij scande, post maledictionem ij derisionis vindices ij carne pasciturfos.

Exempla cautiorem ij moribus dolebit tartarei leonis ij sequens Prophetæ spiritum ij saluus astra scandet.

Des Mittwochs, die Mercurii.

Nihil absque DEo bene cæpit ij quo robore cuncta gerantur felicius ij, arma piorum ij numero licet impare pugnent ij.

Socios Sodomaus habebat ij Rex quatuor, ecce! fugatur a regibus ij haud ita multis ij spoliatur & ipsa Gomorrha ij.

Abrahamus ut audit abactum ij Lothum properare trecentos vernas jubet ij octodecimque ij numerosa millia vincit.

Spoliis redit auctus opimis ij multum sibi servat avarus, victoria ij deserit enses, ij generosaque castra frequentat ij.

Quid inania bella movetis ij nostri mala brachia secli pro fratribus ij æquæ tuendis ij capiens manus arma triumphat.

Des Donnerstags, Die Jovis.

Herr Gott du bist von Ewigkeit und bleibst ohn allen Wandel, mit uns verendert sich die Zeit in allen Thun und Handel, wie bald ist das geschehn, dass viel Menschen abgehn, die uns erzogen und gelehrt, wie man recht lebt und dich ehrt.

Der

Der Moses und der Aaron habn ihre Zeit
regieret, David und Nathan sind davon, ihr
heiner wiederkehret, Nachfolger ihrem Stand
bist du HERR GOTT gesand, durch sie erbauet für
und für der Kirchen- und der Stadt-Thor.

Solch deine Gnad ist wiederfahrn auch un-
sern Vaterlande, die unser Jugend Meister warn,
sind nicht mehr all vorhanden, gib das an ihrer
Statt der wachsend Hauff gerath, das christlich
Regiment besteh und Kindes- Kindern wohlgeh.

Dazu verleih uns lieber HERR GOTT Vater
Glück und Seegen, Gib deines Geistes Krafft zur
Lehr von Jesu Christi wegen, der uns erworben
hat zeitlich und ewig Gnad, dem sey mit dir und
deinem Geist ewiges Lob, Ehr und Preiß.

Des Freytags, Die Veneris.

AUfer im mensam Deus aufer iram
Et cruentatum cohibe flagellum,
Nec scelus nostrum properes ad æquam
pendere lancem.

Si luant justam mala nostra pœnam,
Quis potest savas tolerare plagas,
Cum nec ultricem spatiosa ferret

machina virgam.

Parce sed nostris miserendo culpis

Jus pari clemens pietate miscens,

Cui manet semper proprium maligno

parcere mundo.

Cur super vermes luteos furorem

Sumis, o magni Fabricator orbis?

E 3

Quid

Quid sumus, quam fex putris, umbra, pulvis,
glebaque terræ

Nos parentales maculant reatus

Et caro mentem trahit imbecillem,

Ergo tam sortem fragilem benigno

respice vultu.

Da crucem, clavos, scuticam, coronam,

Lanceam, funes rigidamque mortem,

Inter iratam mediare dextram

& mala nostra.

Non opus summi pereat Magistri,

Nec finas cassam fore passionem,

Corde sed manans lavet omne crimen

sanguis & unda.

Hoc ratum quo fit, facias, precamur,

Omnibus nobis residens Olympo,

Qui DEVS semper dominaris orbi

trinus & unus.

Des Sannabends, die Saturni.

Sabbathi colendi DEus author est, revolve il-
liusque legi reverenter obsequare, benedi-
ctus atqva sanctus fit septimus dierum, finis
qviesque rerum.

Qvid, profane, ceptas? sacra te vocant,
recedis, Rus domumque curas, animæ curam re-
linqvīs, sapienstibi videre; vesanus est, laboret
qvi plurimum nec orat.

Ni DEus creasset spatio priore campum,
stulte, numquid esset, ubi verteres aratrum? ni-
si sabbatho qviesces, amore sanctitatis, qvod
qværis haud habebis.

Ceteris

Ceteris diebus scatuīt frequente manna Sabbathi sub ortu fuit absqve pane terra, tamen exiens Ebræus per irritum laborem læsit DEi favorem.

Ligna colligebat sibi profutura pauper, qvid fit? occidebant, lapides lucratus æger, lapides mori jubentes: dum Sabbatho lucraris, profane cuncta perdis.

Voreinẽm Festrag Hymnus de Angelis.

Dicimus gentes tibi summe rerum

Conditor, Gnato, tua qvò ministros!

Flammeos finxit manus angelorum

agmina pura.

Qvi tuæ lucis radiis vibrantes

Te vident lætis oculis, tuasqve

hauriunt voces, sapientiæqve

fonte fruuntur.

Hos nec ignavum finis esse vulgus,

nec per ingentes volitare frustra

atheris tractus temerè nec inter

ludere ventos.

Sed jubes Christo comites adesse

& pios cætus hominum tueri

qvi tuas leges venerantur atqve

discere curant.

Impiis ardens odiis & ira

Nam tuis castris Draco semper infert

bella, qvi primus scelus atqve mortem

intulit orbi.

Hic domus, urbes, tua templa, gentes,

& tuæ legis monumenta tota

& bonos mores abolere tentat

funditus omnes.